

in eis fundantur relationes impossibiles, etiamsi nullo modo sint oppositæ, ut patet, quia nihil potest bis produci, aut duobus modis produci, et idem testantur exempla: nam nemo potest gignere filium per naturam, et eundem producere ex arte, et facere ut sit idem filius et statua, etiamsi non opponantur hæc ullo modo. Accedit etiam S. Anselmi auctoritas, qui lib. de process. Spir. S. cap. 1. sic ait: « Quoniam nondum constat quod Spiritus S. de illo sit, et procedat; ideo non est Spiritus S., nec Spiritus S. est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre: Spiritus S. vero, non nascendo, sed procedendo. »

Respondeo: quæ sunt in creaturis multa et divisa, in Deo esse unum et simplex, modo non impediatur oppositio. Unde si a Filio non procederet active Spiritus sanctus, sine dubio generari et spirari non essent duo modi, sed unus realiter, qui tamen distingui possent ratione. Nam sicut in Deo idem sunt intellectus et voluntas, intelligere et velle, idem etiam esse posset Verbum et Amor, nisi unum ab altero vere procederet: et sicut non repugnat uni personæ ut sit dicens et amans, seu Pater et spirator; ita non repugnat uni personæ ut sit Verbum et Amor, Filius et Spiritus sanctus.

Adde, quod non deest etiam exemplum in creaturis: nam gignere et docere sunt diversissima formaliter, et similiter relationes Patris et Filii plurimum differunt a relationibus doctoris et discipuli; et tamen unus et idem potest esse pater et doctor respectu ejusdem, qui erit filius et discipulus ejus. Quando autem id non videmus, ut in illo exemplo de filio et statua, id accidit propter multiplicationem et distinctionem materiæ, non propter impossibilitatem relationum.

Ratio ergo S. Thomæ solidissima est, et deducta ex fundamentis Fidei, et præterea est communis Patrum doctrina, quod sane Scotus non advertit. Nam Nazianzenus Orat. 5. de Theol., solum agnoscit distinctionem ob relationes originis. Nysenus in fine libri ad Ablabium solum dicit, distingui in Deo personas per esse causam et causatum, quod est idem cum præcedente sententia. Augustinus lib. I Trin. cap. ult. et lib. XV, cap. 14. solum vult distingui personas per hoc, quod una est ad aliam. Boetius lib. I de

Trin. cap. 12. « Sola, inquit, relatio multiplicat Trinitatem, » Anselmus lib. de process. Spir. S. cap. 2. omnia dicit esse unum, ubi non obviat relationum oppositio. Richardus lib. II de Trin. dicit, distinctionem personarum nasci ex numero productionum, quia una persona producit, et non producit, alia producit, et producit, tertia producit, et non producit.

Ex his ad locum ex Anselmo citatum facile est respondere. Anselmus enim in 1. et 2. cap. exponit ea, in quibus nos cum Græcis convenimus, quorum unum est, quod Filius a Spiritu Sancto distinguatur, quia unus nascendo; alter procedendo accipit esse. Deinde autem ostendit, non posse esse hos duos modos distinctos, nisi Spiritus sanctus sit a Filio, quia omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Superest jam, ut argumenta Græcorum breviter proponamus, et confutemus.

CAPUT XXVII.

Solvantur argumenta Græcorum.

Primum argumentum sumunt ex illis verbis Jo. XV. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (1). Cum enim tam diserte Dominus dixerit, Spiritum sanctum a Patre procedere, et non addiderit a Filio; temeritas videtur asserere, Spiritum a Patre Filioque procedere.

Respondeo cum Augustino lib. III cont. Maxim. cap. 14. nominari solum Patrem, non ad excludendum Filium, sed quia Pater est principalis auctor Spiritus sancti: Filius enim a Patre habet ut spiret. Quod autem Filius non excludatur, etiamsi non nominetur, probatur primo ex aliis similibus locis. Nam Matth. XVI dicitur: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cælis est*: et tamen illa revelatio facta fuit ab omnibus personis. Et de Spiritu sancto Jo. XV. *Ille vos docet omnia* (2): et tamen etiam Pater et Filius nos docent omnia.

Secundo, cum dicitur, a Patre procedit, non potest intelligi a Patre ut Pater est for-

maliter, quia tunc Spiritus esset Filius; ergo a Patre ut habet essentiam communem cum Filio: proinde etiam a Filio procedit.

Tertio, ut acute Anselmus lib. de process. Spir. S. ratiocinatur. Si dictum esset: nemo producit Spiritum sanctum, nisi solus Pater; adhuc non excludetur Filius, ut ex simili sententia perspicuum est: nam dicitur Matth. XI. *Nemo novit Filium, nisi Pater* (1); et tamen non excluduntur a cognitione Filii ipse Filius et Spiritus sanctus, qui sunt ejusdem nature. Et ibidem addit: *Neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*; nec tamen excluditur Pater et Spiritus a cognitione Patris, etiamsi Filius nihil eis revelet. Eodem igitur modo si dictum esset: nemo producit Spiritum sanctum nisi Pater, non excluderetur Filius ab ea productione. Quanto igitur minus excluditur per eam sententiam, Spiritus sanctus a Patre procedit? Hic enim nulla est exclusio, nulla negatio.

Secundum argumentum sumunt Græci ex eo, quod in Concilio Ephesino lectum est Symbolum Nestorianorum, et liber Theodreti contra anathematismos Cyrilli, et in utroque habebatur expresse, Spiritum non procedere a Filio, et tamen Patres Concilii tacuerunt; ergo approbasse videntur.

Respondeo primo, retorquendo argumentum. Nam in eodem Concilio Ephesino, et postea in IV et V Synodo lecta est epistola Cyrilli cum anathematismis ad Nestorium, in qua bis habetur, Spiritum a Filio habere suum esse: et tamen Patres non contradixerunt; ergo approbaverunt. Secundo, Theodretus non solum ait, Spiritum non procedere a Filio, sed etiam non procedere per Filium, quod tamen Græci modo asserunt; ergo si Concilium suo silentio approbavit, Spiritum non procedere a Filio, quod videtur contra nos, approbavit etiam non procedere per Filium, quod est contra ipsos. Dico ultimo: Ephesinum Concilium etsi noluerit tunc expresse disputare de ista questione, quia propter aliud negotium convenerat; tamen satis aperte significasse sententiam suam, cum summo consensu probavit totam Cyrilli doctrinam, et damnavit contrariam Nestorianorum et Theodreti, quod idem fecerunt IV. et V. Synodus: imo etiam VI. et VII., ac breviter omnes Synodi consequentes.

Tertium argumentum ex Patribus sumunt, ac primo adducunt Dionysium Areopagitam, qui de div. nom. cap. 2. pag. 1. « Polus, inquit, fons supersubstantialis Deitatis est Pater. » Respondeo: id esse verum, quia Pater non habet aliunde Divinitatem. Unde aliqui comparant Patrem fontem, qui dat et non accipit, Filium flumini, qui accipit et dat, Spiritum sanctum lacui, qui accipit et non derivat alio aquam. Sed quoniam hæc ratione dicitur solus Pater fons, quia non accipit aliunde: tamen alia ratione etiam Filium fontem Epiphanius vocat, heres. 69. sed fontem de fonte, sicut Deum de Deo, quia accipit eandem essentiam, quam habet Pater.

Secundo proferunt Basilium, qui epist. 43. « Nullam, inquit, secundum propriam notionem communionem habet Filius cum Patre; ergo non convenit cum Patre in spiratione, quæ est quædam notio. Præterea, ibidem dicit, propriam notionem Spiritus sancti esse, quod per Filium, et cum Filio cognoscatur, et ex Patre subsistentiam habeat.

Respondeo ad primam: non loqui Basilium de notione qualibet, sed de notione quæ est proprietas, ut patet ex verbis ejus. Vult ego dicere, Filium ratione filiationis, quæ sola est ejus propria notio, non convenire cum Patre, aut Spiritu sancto.

Ad secundum dico: locum esse pro nobis, si bene intelligatur: nam cum dicit, Spiritum sanctum per Filium et cum Filio cognosci, non vult dicere, Spiritum sanctum cognosci ex prædicatione et doctrina Filii: sed cognosci per Filium, et cum Filio, ut relativum per suum correlativum. Nam paulo ante dixerat, Spiritum sanctum ex Filio pendere, et non posse unum sine alio cogitari, quod est proprium relativorum. Præterea disserit eo loco de distinctione personarum intima et æterna, non autem debet sumi distinctio æterna a temporali nostra cognitione; alioqui ante nostram cognitionem non fuissent personæ distinctæ. Quod si relativa sunt Filius et Spiritus sanctus, necesse est, ideo esse relativa, aut quia Filius sit Filius Spiritus sancti, et Spiritus sanctus sit Pater, quod nemo dicit: aut quia Spiritus sanctus spiretur a Filio, et sit Filius spirans seu spirator Spiritus sancti, quod Ecclesia Catholica dicit. Neque obstat quod Basilium dicit, Spiritum ex Patre subsistere;

(1) Joan. XV, 26. — (2) Matth. XIV, 17; Joan. XVI, 13.

(1) Matth. XI, 27.

id erim tribuit Patri tamquam principali auctori, sicut ipse Dominus dixit: *Qui ex Patre procedit.*

Tertio proferunt Nazianzenum, qui in Orat. ad Episc. qui venerant ex Aegypto: « Omnia, inquit, quæ habet Pater, habet etiam Filius, excepta causalitate. » Hinc enim sequi videtur, Filium non esse causam Spiritus sancti, sed solum Patrem. Respondeo: loqui S. Gregorium de causalitate respectu ipsius Filii, quæ est proprietas Patris, ac si dixisset: omnia Filius habet quæ habet Pater, præter esse Patrem. Quid, quod ibidem aperte Gregorius insinuat, Spiritum esse a Filio? Nam sicut contulerat Filium cum Patre tanquam productum cum producente; ita postea confert Spiritum cum Filio: « Omnia, inquit, quæ habet Filius, habet Spiritus sanctus, excepta filiatione, id est, excepta proprietate ejus personæ, a qua ipse producit. »

Quarto adducunt Damascenum lib. I, cap. 11, de Fide: « Spiritum, inquit, per Filium esse dicimus, ex Filio non dicimus. » S. Thomas quæst. X de pot. art. 4, rejicit Damascenum tamquam qui secutus sit Theodoretum: sed non videtur id verum esse: siquidem Theodoretus disertè negavit, Spiritum sanctum a Filio, vel per Filium esse: Damascenus autem negat esse per Filium.

Respondeo igitur cum Bessarione et Genadio: Damascenum non negasse Spiritum sanctum procedere ex Filio, quod ad rem affinet, cum dixerit, Spiritum esse imaginem Filii, et per Filium esse: sed existimasse, tutius dici per Filium, quam ex Filio, quantum ad modum loquendi, propter hæresim Macedonii et Eanomii, qui ex Filio tanquam primaria, imo etiam sola causa processisse dicebant Spiritum sanctum. Quemadmodum dicimus post hæresim Nestorii, Mariam non Christiparam, sed Deiparam, non quod non sit Christipara, sed ne putetur solum Christipara, et non Deipara. Cæterum sicut propter hæresim Macedonii recte dicebatur, Spiritus esse a Patre per Filium; ita propter errorem Græcorum rectius dicitur nunc a Patre et Filio.

Quinto adducunt, ut Magister testatur l. I, d. 11, Leonem III, Pontificem Romanum, qui ad Fidei cautelam jussit scribi in tabula argentea Symbolum Constantinopolitanum sine additione Filioque, et poni in altari post corpus S. Pauli. Vixit autem iste Pontifex circa annum 700, a Christo nato, quo lem-

pore jam additio facta fuerat; ergo illam abstulit Pontifex.

Respondeo: Pontificem dedita opera hoc fecisse, ut servaretur memoria Symboli Constantinopolitani, quale fuerat, et ut intelligerent omnes, non damnari illud Symbolum, nec esse contrarium nostro. Habet enim Ecclesia plura Symbola, Apostolicum, Nicænum, Athanasii, Constantinopolitanum sine ulla additione, et illud idem cum additione, quæ omnia unum et idem sunt, licet unum sit alio clarius et explicatius. Porro omnia illa Symbola Ecclesia Catholica recipit, et honorat, et sicut condito Nicæno Symbolo, non fuit abrogatum Symbolum Apostolicum, et sicut condito Constantinopolitano, non fuit abrogatum Nicænum; ita quoque condito nostro Symbolo, non debuit abrogari Constantinopolitanum. Itaque prudentissimo consilio summus Pontifex, ne Græci putarent, reprobari a nobis Symbolum Constantinopolitanum, jussit illud honorifice in Ecclesia conservari.

Sexto adducunt Theophylactum in c. III, Jo. : « Sane, inquit, Latini male hæc exponentes, et minus recte intelligentes dicunt, quod Spiritus etiam ex Filio procedat. » Respondeo: schismatis tempore vixisse Theophylactum, ideoque non recipi ejus auctoritatem: alioqui nos etiam plurimos alios proferre potuissemus, ut Bernardum, Rupertum, Richardum, Thomam, Bonaventuram, et alios Sanctos recentiores.

Ultimo afferunt rationes. Prima ratio est Theophylacti loco citato. Spiritus sanctus unus est; ergo unum habet principium, non duo, et una spiratione procedit, non duabus. Respondeo: rationem istam, quæ præcipua tamen est Græcorum, nihil valere: nam licet Pater et Filius sint duo spirantes, tamen unica spiratione spirant, et unum principium sunt Spiritus sancti. Nihil enim multiplicatur in Deo, nisi relatio opposita: spiratio autem qua Pater spirat, non opponitur spirationi, qua spirat Filius. Et certe si argumentum concluderet, efficeret etiam Filium non esse creatorem Mundi, nam Mundus est unus; ergo unum principium habet, et una actione producit; ergo si duæ personæ non possunt esse unum principium, nec una actione creare, non creavit Filius Mundum, sed Pater solus. Sicut ergo Pater et Filius, imo etiam Spiritus sanctus unum sunt Mundi principium, et una actione creant, quia unam essentiam habent: ita quoque Pater et Filius

unum sunt principium Spiritus sancti, et una spiratione spirant, quia unam habent potentiam spirativam.

Secunda ratio. Pater est sufficiens principium Spiritus sancti; ergo non requirit auxilium Filii. Respondeo: Patrem etiam esse sufficiens principium creationis; et tamen hoc non obstante omnes personæ creant, quia habent eandem potentiam et essentiam: non enim Filius cum Patre spirat, quia Pater egeat auxilio, sed quia eandem vim spirativam habent Pater et Filius. Adde, quod Spiritus sanctus procedit necessario a duobus, quia alioqui non esset tertia persona, sed coincideret cum secunda, ut ostensum est. Itaque Mundus producit necessario a tribus, necessitate producentis, non necessitate producti: at Spiritus sanctus producit a duobus necessario, necessitate producentium, et necessitate producti.

Tertia ratio. Si a Filio procedit Spiritus; ergo Patri similior est Filius, quam Spiritus sanctus: nam Filius spirat cum Patre spirante, et Spiritus non generat cum Patre generante. Respondeo: si Spiritus a solo Patre procedit, fore similiorem Filium Spiritui, quam Patri; nam Filius procedet cum Spirita, et non producit cum Patre: sed neutrum horum argumentorum concludit: nam similitudo attenditur ex parte essentiae, non ex parte relationum.

CAPUT XXVIII.

Demonstratur recte factam additionem illam, Filioque.

Superest ostendere, Latinos potuisse et debuisse explicare Symbolum addendo illam particulam *Filioque*: ac primum ostendam, debuisse Symbolum explicare; deinde id potuisse facere Latinos sine Græcis.

Quod ergo debuisset explicari Symbolum, probatur. Nam necessarium est ad salutem, non credere Spiritum sanctum a solo Patre procedere; ergo orta hæresi, quæ docebat Patrem a solo Patre procedere, debuit adhiberi remedium per explicationem, quia debent tolli occasionem errandi.

(1) Joan. XXI, 17.

Probatur antecedens. Nam Athanasius in Symbolo, ubi posuerat Patrem et Filium etc. dicit: « Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, in æternum peribit. » Et in ep. ad Serapionem, apud B. Thomam Opuscul. contr. error. Græc. « Juxta quod, inquit, mandat Apostolus, hæreticum hominem post unam aut alteram correptionem devita, etiam si quos videas cum Elia volantes per aera, et cum Petro et Moysæ, sicut pede calcantes maria, nisi Spiritum sanctum profiteantur Deum, essentialiter ex Deo Filio existentem, sicut et Filium naturaliter Deum genitum, æternaliter ex Deo Patre existentem, ut nos profiteamur, eos non recipias. » Vide similia loca Cyrilli et Epiphaniæ apud B. Thomam in Opuscul. cont. Græc.

Præterea probatur ex decreto Concilii Florentini, ubi sic habetur: « Definimus, ut hæc Fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, ac suscipiatur, quia Spiritus sanctus a Patre et Filio æternaliter est. » Denique ratione: Nam credere Spiritum non esse a Filio, est, ut demonstravimus, error contra Scripturas; ergo necessario vitandus. Est tamen hoc loco animadvertendum, non semper necessarium fuisse, non credere non esse a Filio Spiritum sanctum: nam antequam oriretur et definiretur quæstio, satis erat credere, Spiritum a Patre procedere, in quo includebatur etiam, quod procederet a Filio: nec erat opus querere, an a Filio procederet, necne: non enim tenemus omnia scire, sed tamen tenemus nunquam positive asserere errores. Itaque postquam mota est quæstio, et multi cæperunt errare, necesse fuit remedium adhibere, et hoc ipsum etiam definivit Concilium Florentinum in hæc verba: « Definimus, explicationem verborum illorum *Filioque*, veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite et rationabiliter Symbolo fuisse appositam. »

Veniamus nunc ad alteram partem, ac demonstremus, hanc explicationem a Latinis sine Græcorum consensu fieri potuisse. Primo, Papa Romanus est Pastor et Doctor totius Ecclesiæ, ut in ipso Conc. Flor. Græci confessi sunt, et patet ex illo Jo. ult. *Pascet oves* (1); ergo potest ipse, etiam sine Concilio, definire res Fidei: nam quia Pastor et Doctor universalis est, non potest errare cum docet ex cathedra; alioqui tota Eccle-

sia erraret, quæ illum sequi tenetur: definire autem res Fidei ad illum pertinet, qui non potest errare.

Secundo, etiamsi Papa non esset Pastor totius Ecclesie, nec posset definire controversias Fidei sine Concilio: tamen non propterea requiretetur Concilium Græcorum et Latinorum, sed sufficeret Concilium aliquot Episcoporum ab ipso Romano Pontifice convocatum. Est enim ipse (ut minimum) primæ Sedis Episcopus, et sine ipso Concilia non habent robur, et cum ipso habent, ut fuso docet Gelasius in tom. de vinc. anathem. Nam firmitas Conciliorum non oritur ex multitudine et diversitate Episcoporum, sed ex connexione cum Sede Petri, cui dictum est: *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua* (1). Id quod etiam exempla testantur. Nam Concilium Ariminense habuit 600 Episcopos, partim Græcos, partim Latinos: et tamen quia Romanus Episcopus dissensit, semper est habitum erroneum ab omnibus, tam Græcis, quam Latinis. Contra, Concilium II 150 Episcoporum Græcorum, et in quo nullus fuit Latinorum, quia a Pontifice Damaso confirmatum fuit, a quo Ariminense fuerat reprobatum, semper habitum est in honore. Videmus igitur a Sede Petri Conciliorum firmitatem esse.

Tertio, etiamsi Papa non esset Caput totius Ecclesie, nec primæ Sedis Episcopus, sed unus Patriarcha nihilo major cæteris, adhuc Græci non possent conqueri propter istam additionem. Nam vel quæstio est de Fide, vel de ritu, id est, vel nolunt Græci hanc additionem, quia est falsa et contra Fidem, vel quia licet sit vera, tamen non placet illis in Symbolo.

Si est quæstio de ritu: certe sicut multi alii sunt ritus diversi Græcorum et Latinorum, et non propterea fieri debet schisma; ita etiam iste ritus tolerari poterat sine schismate. Præterea potest unus Episcopus in sua Ecclesia aliquem ritum instituere sine consensu aliorum; quanto magis tota natio Latinorum simul?

Si autem quæstio est de Fide: non possunt quidem Concilia provincialia vel nationalia aliquid ita definire, ut statim debeat ab omnibus recipi; tamen possunt definire, et alii non debent conqueri, sed probare, si viderint rem esse bene definitam; sin minus, convocare majus Concilium. Nam ita factum

videmus sapissime in Ecclesia.

Hæresim Pauli Samosatani damnavit Concilium Antiochenum paucorum Episcoporum, nec alii multo plures in toto Mundo conquesti sunt, sed ratum habuerunt, ut patet ex hist. Euseb. lib. VII, cap. ult. Hæresim Macedonii damnavit Concilium Constantinopolitanum, in quo nullus fuit Latinorum, nec Latini conquesti sunt, sed probaverunt. Hæresim Pelagii damnaverunt Concilia provincialia, Milevitanum et Carthaginense, nec nullus propterea fecit schisma, quia non fuisset vocatus. Hæresim Nestorii damnavit Concilium Ephesinum, antequam adessent Latini, quos Pontifex Cælestinus mitebat: non tamen Latini conquesti sunt, sed voluerunt cognoscere rem gestam, et cognitam approbaverunt. Et hujusmodi sunt infinita exempla. Græci ergo non possunt conqueri, quod sine ipsis quæstio definita est, præsertim cum post illam definitionem sint vocati ad Concilia generalia, non semel, neque bis, sed sæpius, et rursus quæstio proposita et discussa sit ipsis præsentibus.

Si petas: licet non fuerint necessario Græci initio vocandi, tamen cum vocari poterint, quare initio non sunt vocati? Respondeo primo: non esse certum, non fuisse vocatos, ut dicitur in Concilio Florentino: ut enim ignoramus, in quo Concilio fuerit facta additio: ita ignoramus, an interfuerint Græci, necne. Sed si vocati non sunt, causa fuit. Primo, quia non erat necesse, cum quæstio esset facilis. Nam ut Augustinus respondit Pelagianis petentibus generale Concilium I. IV. ad Bonifac. cap. 12. non omnis hæresis est talis, ut propter eam debeant vexari omnes provincie. Et profecto talis est hæc de Spiritu sancto. Et si facta sunt Concilia generalia, facta sunt ut satisfaceret Græcis, non quod rei difficultas hæc exigeret. Secundo, quia necessitas urgebat, et requirebat celeritatem propter contentiones in Gallia et Hispania natas: nec poterant tam cito ex remotis regionibus Episcopi advocari. Tertio, quia inutile erat: nam eo tempore nulli fere erant in Græcia homines docti. Has tres causas reddit Bonaventura I, dist. 11, quæst. 1.

CAPUT XXIX.

Solvuntur objectiones Græcorum.

Sed necesse est objectiones ipsorum diluere; prima est hujusmodi. Synodus III generalis prohibuit omnem mutationem circa Symbolum; hæc enim habentur ad finem Concilii: « Decevit sancta Synodus alteram Fidem nemini licere proferre, aut scribere, aut exponere, præter eam, quæ definita fuit a sanctis Patribus apud Nicænam urbem in Spiritu sancto congregatis. Eos autem, qui fuerint ausi aliam Fidem componere, sive porrigere, aut proferre his, qui volunt ad veritatis cognitionem converti ex Gentibus, vel ex Judæis, vel etiam ex qualibet hæresi: istos, si quidem Episcopi fuerint, aut Clerici, alienos, Episcopos quidem ab Episcopatu, Clericos a clericatu: si vero Laici fuerint, anathematizatos. »

Respondent nostri: hoc decreto non prohiberi explicationem Symboli, et mutationem quoad verba, sed prohiberi corruptionem per additionem, aut detractionem contrarium sensum reddentem, id quod probant multis modis. Primo, sic intelliguntur etiam verba Pauli Galat. I, ubi anathematizat eos, qui docent præter id quod ipse docuit: nam ipse multa alia docuit postea, et Joannes totum Evangelium postea scripsit, ubi sunt multa quæ non inveniuntur in Paulo; non ergo prohibet Paulus, addi doctrinam, sed addi aliquid contrarium superioribus.

Secundo, si Concilium Ephesinum loqueretur de qualibet mutatione Symboli, jam esset abrogatum Symbolum Constantinopolitanum, ubi habetur: « Ex Patre procedentem: » nam Symbolum Constantinopolitanum addidit ad Nicænam inter alia, etiam hanc particulam: « Ex Patre procedentem; » et tamen Græci semper usi sunt Symbolo Constantinopolitano, et non Nicæno.

Tertio, in Concilio Chalcedonensi, ubi videntur interfuisse multi ex Episcopis, qui fuerunt in Concilio Ephesino, act. V. cum esset conscribenda Fides, Episcopi clamabant, addatur ad Symbolum, « Sanctam Mariam esse Deiparam, » et in illa ipsa actione scribitur novum Symbolum, in quo multa

mutantur, adduntur, detrahuntur ex particulis Symboli Nicæni et Constantinopolitani: et ad finem additur illa prohibitio: « Decevit sancta Synodus alteram etc. » ut in Ephesino Concilio. Ex quibus evidenter apparet explicatio decreti. Nisi dicamus, Concilium quartum pugnare cum tertio, et esse excommunicatos omnes Episcopos quarti Concilii, quod nemo haecenus dixit.

Adde etiam, quod Græci non ignorarunt olim, Latinos esse hujus sententiæ: nam Hormisdas in epist. ad Justin. Imperat. diserte scripsit, ex Patre Filioque Spiritum procedere. Item non ignorarunt additionem factam, et tamen per annos circiter 300. siluerunt, nec schisma fecerunt, ut patet, quia additio facta est circa annum 600. et postea celebrata sunt ex communi consensu Græcorum et Latinorum tria Concilia generalia VI, VII et VIII, et tandem postea illis venit in mentem, ut nobis objecerunt Ephesinum decretum: cur non objecerunt antea, nisi quia intellegebant nihil facere contra nos? Respondent Græci: Concilium Ephesinum prohibuisse omnem mutationem Symboli, tam quoad rem, quam quoad verba.

Ad id quod objicimus de Symbolo Constantinopolitano, quod addidit ad Nicænum, respondent: Ephesinum Concilium accepisse pro uno et eodem Symbolum Nicænum et Constantinopolitanum, et prohibuisse mutationem circa Symbolum Nicænum, ut erat explicatum a Synodo Constantinopolitana.

Ad id vero quod objicimus ex Concilio Chalcedonensi, respondent: Concilium Chalcedonense edidisse quidem aliam confessionem Fidei, sed non composuisse aliud Symbolum, quod in Ecclesia frequentari deberet, et tradi iis qui catechizandi erant: et de tali Symbolo locutum esse Concilium Ephesinum. Occasio enim hujus decreti fuit, quia multi Symbola scribebant, et ea tradebant rudibus, et interim errores admiscebant.

At contra objiciunt nostri. Si Symbolum Nicænum et Constantinopolitanum pro eodem accipiuntur, quia in re conveniunt; idem poterit dici de aliis, quæ in re conveniunt.

Præterea ex hoc ipso, quod Concilium Chalcedonense non composuit Symbolum, quod in Ecclesia frequentandum esset, et tamen addidit illam clausulam, ut nemo audeat aliam Fidem scribere, et proferre iis

(1) Luc. XX, 32.

qui catechizantur; nostri colligunt, istam prohibitionem non debere intelligi de Symboli mutatione quoad verba, sed quoad rem. Hæc est communis et solida solutio: sed forte posset aliter obstrui os Græcorum. Nam etiamsi Concilium Ephesinum loqueretur de verbis Symboli, nec vellet ullo modo addi, vel detrahi quidquam: tamen hæc prohibitio non extenderetur nisi ad singulos Episcopos, vel Clericos, aut Laicos, non autem ad Concilia Episcoporum. Nam verba Canonis, harum personarum mentionem faciunt, nimirum, Episcoporum, Clericorum, et Laicorum. Constat autem Concilia non ex Clericis, et Laicis, sed Episcopis tantum consistare: et occasio hujus Canonis scribendi idem confirmat. Scriptus enim fuit canon, quoniam plurimi coeperant eo tempore sua Symbola scribere, non solum Episcopi, vel Clerici, sed etiam Laici.

Deinde, quomodo credibile est, Synodum Ephesinam voluisse præscribere regulam summo Pontifici, aut Synodo generali? num ignorabant Episcopi illi, non posse ullum superiori suo, aut æquali legem dare? Cum igitur particulam *Filioque* non aliquis particularis Episcopus, Clericus, aut Laicus Symbolo addiderit, sed summus totius Ecclesie Pastor, et Concilia generalia tria id ipsum probaverint, dubium esse non potest, quin id jure factum sit.

Sed rursus quidam obijciunt. Etsi licuerit Latinis per eam additionem explicare Symbolum: tamen non videtur debuisse ipsa explicatio apponi in Symbolo; si enim omnia, quæ definiuntur circa Symbolum, ipsi Symbolo addenda essent, multa alia fuissent addenda: ut Virginem esse Deiparam; Christi corpus vero esse in Eucharistia, licet ascenderit in Cælum; et alia.

Respondeo: non omnia debere poni in Symbolo: tamen hanc particulam recte fuisse appositam, propter duas causas. Primo, quia post exortam hæresim, ipsum Symbolum sine hac particula dabat occasionem errandi. Secundo, quia facile addi poterat sine additione novi articuli, aut mutatione notabili ipsius Symboli: quæ causæ in aliis additionibus locum non habent. Nec tamen negamus, posse addi aliquam aliam particulam ad majorem explicationem, si id summo Pontifici, aut Concilio orbis terræ expedire videatur.

CAPUT XXX.

Concluditur disputatio divino testimonio.

Jam ad finem totius disputationis placuit annotare divinum sive judicium, sive testimonium. Nam Deus multis modis ostendit post exortum schisma, ultri errent, Græci an Latini. Nam usque ad tempus schismatis ita floruit Græcia viris doctis et sanctis, ut omnia Concilia generalia apud Græcos celebrata sint: post schisma autem per annos fere 800. nullum habuerunt Concilium, nullum virum sanctum miraculis clarum, paucissimos homines doctos. Latini vero hoc eodem tempore habuerunt duodecim generalia Concilia, et innumerabilia particularia. Item singulis ætatibus viros miraculis clarissimos, novos Ordines religiosorum, plurimos homines doctos.

Præterea hoc tempore Fides Latinorum propagata est accessione Indorum Orientalium, et novi orbis in Occidente: Fides Græcorum minuitur in dies quotidie: Græci in Conciliis convicti, ad nostram Fidem conversi sunt quater, aut quinque, et fortassis etiam sæpius; et semper ad vomitum suum redierunt.

Latini semper in disputationibus superiores in eadem Fide et doctrina permanserunt. Denique apud Latinos regna, et imperia potentissima adhuc florent: imperium vero Græcorum per Turcas Christi hostes eversum, ac destructum est penitus, ipsique omnes in miserima servitute degere, gravissimumque jugum captivitatis perferre coguntur.

Ac ut intelligant causam exiti sui esse pertinaciam in errore de processione Spiritus sancti; in ipsis feriis Spiritus sancti capta fuit, Constantinopolis a Turcis, Imperator occisus, et Imperium omnino extinctum. Nam, ut probat Gerardus Mercator in sua Chron. anno 1452. die 28. Maii dixit

Mahumetes exercitui suo ultimam oppugnationem, et sequenti die Constantinopolim cepit. Illo autem anno fuit Pentecoste die 28. Maii, ut planum est ex aureo numero, et littera dominicali, unde festa mobilia investigantur. Erat enim aureus numerus 9. et

littera dominicalis A. Itaque multi comparant Ecclesiam Græcam regno Samariæ, quod separavit se a vero Templo, et tandem in captivitatem perpetuam adductum est.